

hujusmodi observationes præstentur, ut undique lex habeat propriam perfectionem: nisi forte testator et hoc præcipiat, dicens licentiam habere eum cui dereliquit, sive per institutionem particularem, sive ex asse, aut per legatum vel fideicommissum, sive per mortis causa donationem, et accipere quod relictum est, et nullam cautelam dare: tunc enim sequenda est defuncti voluntas, studii enim nostri est, defunctorum conservare secundum legem voluntates.

CAP. XLV. *De administratione donationis propter nuptias. Idem dictum fuit supra Novell. 2, cap. 4.*

Et quia parum antea de cautela rerum ediximus, et Leonis novius divæ memoriæ constitutione¹⁴ de secundis nuptiis, si ad eas veniens mulier non valeat dare fidejussionis cautelam, quia filiis restituit res, tertiam partem centesimæ accipere: nos causam adhuc melius ab ea constituimus, illius super hoc statutis competentem adjicientes subdivisionem. — § 1. Et sancimus (hoc quod pridem¹⁵ a nobis in quadam dictum est constitutione) ut si quis offerat res propter antenuptialem donationem: siquidem omnes immobiles constituta sunt, maneat earum usus apud matrem ad secundas venientem nuptias: et eadem hæc eligat, et non recuset, neque exigat a filiis pro estimatione earum usuras: sed diligentiam earum habeat secundum quod lex dat usus dominis constitutis: conservet autem hæc secundum leges filiis superstitibus: aut si omnes moriantur, secundum nostram legem casu filiorum non existentium, matri reliquo remanentibus filiorum heredibus conservando. — § 2. Si vero universa constituta est forte in pecuniis, aut aliis mobilibus res antenuptialis donatio: tertiam partem usurarium accipiente matre, cum prius sancita cautela non exigat a filiis aurum, nisi forte sine invidia sit viri facultas, et habeat aurum et argentum, et vestes, et quicquid conscriptum est matri: damus etenim tunc electionem matri, si velit res accipere, et dare fidejussoriam cautionem, sive prædictas accipere usuras: dicimus autem ex tertia parte centesimæ tam secundum anteriores leges, quam etiam secundum nostras. — § 3. Si vero permixtae sint res, et donatio tam in pecuniis quam in immobilibus rebus sit, immobiles quidem omnino manere apud matrem: propter quod alimenta habeat exinde: in rebus vero mobilibus illa tenere, quæ pridem sancivimus, si contigerit in mobilibus rebus omnia antenuptialis donationis esse constituta: providente muliere quod non negligat mobilia, neque imminuta hæc faciat, sed qualia accepit, restituat.

CAP. XLVI. *De successione matrum in bonis filiorum pro qua parte fiat, et quomodo.*

Hinc¹⁷ nos alia evocat ratio quæ de filiorum successione est: quam accipient quæ ad secundas veniunt nuptias. Jam pridem enim de his scripta est lex a nobis ad Hermogenem¹⁸ gloriose memoriæ magistrum sacrorum nostrorum factum officiorum rescripta, Belisarii gloriosi præcedens consulum, septimo decimo kal. aprilis, per quam sancivimus matres ad filios non relinquere liberos, cum ejus qui mortuus est fratribus, sine cautione vocari successorem: et ejus cum usu etiam proprietatem habere firmam: sive priusquam heres relinquatur, sive postea ad secundas venerit nuptias: auferentes leges quæ de his contrarium quid præcipiebant. Hanc autem nostram sanctionem firmam etiam modo manere super solas personas parentum, quæ dudum ad secundum venerint matrimonium, sancimus: et quasdam priorum accipientes filiorum, firme ei servantes, et secundum deinceps tempus: sive ante nuptias, sive post nuptias hereditatem in eas filii descendisse contigerit. De his autem quæ post hæc ad secundum veniunt virum, ita nobis præsens lex disponatur, et sanciat. Ergo necesse est filio moriente, sive masculino, sive femina, sive testatus moriatur, sive etiam sine hoc: interim ea, quæ ex testamento sunt dicentes, ita ad ordinem qui ab intestato est, veniamus. — § 1. Si igitur legitime filius testatus fuerit, et relinquat matri substantiam, sive partem ejus aliquam: hanc illa accipiat per scripturam (quia ubique custodire morientium volumus voluntates) et habeat quod dimissum est, aut datum, et secundum proprietatem, et secundum usum. Sicut enim licebat relinquere alicui extraneorum, et nihil heredi secundæ mulieris nocebant nuptiæ: ita et matri relinquens, sive institutionem, sive legatum, recte derelinquat et dominium, et usum, sive ex rebus quæ extrinsecus advenerunt, fuerit facultas, sive ex paternis: nihil ex hoc fratribus contradicere valentibus. — § 2. Si autem intestatus filius moriatur jam ad secundas veniente matre nuptias, aut postea veniente: vocetur quidem et ipsa cum filii aut filiarum fratribus secundum nostram constitutionem ab intestato ad ejus successorem. Sed quanta quidem ex paterna substantia ad filium pervenerunt, eorum solummodo habeat usum

14. Authent. Sed si aurum, C. de secund. nupt. — 15. L. 6, § 1, C. d. t. — 16. N. 2, c. 4. — 17. Authent. Ex testamento, C. de secund. nupt. — 18. d. N. 2, c. 19, d. L. 6, c. 20, c. 26, in fin.; c. 35, supr. hic; N. 25, c. 3, — 21. *Adde* L. 14, d. de bon. libert. — 22. N. 2, c. 3.

ad secundas omnino, sive prius, sive postea veniens nuptias: in residuis vero omnibus rebus, quæ aliunde erant filio præter paternam successionem, veniat secundum vocationem nostram, quam statim dicemus, quadam correctione et ea indigere. Et hæc dicimus in rebus quæ extra nuptialem donationem sunt. Quæ enim in illis sancita sunt a nobis, et a Leonis divæ memoriæ constitutione¹⁹, integra conservamus: in quibus solum mater habeat usumfructum. — § 3. Sed in aliis rebus hæc sancimus, et deinceps ipsi tradimus quæcumque post nuptialem donationem sunt a patre venientia filio, aut ex aliis causis, tam ex testamento, quam ab intestato successione: ratione contra²⁰ ingratos filios undique et super istis rebus servata, quando manifestæ causæ ingratitudinis demonstrantur: aliorum omnium, quæ de successione dicta sunt parentum in filiis, aut filiorum in parentibus, intactis manentibus. — § 4. Ingratitudinem autem hic consideramus, non solum ad matrem secundum pridem a nobis dictum: sed etiam adversus eundem ipsum fratrem defunctum.

CAP. XLVII.

Et quoniam scimus multas fratris ad invicem factas contentiones: illum solum, tanquam ingratum circa fratrem effectum, participari hoc lucrum non concedimus qui mortem voluit fratri, aut criminalem inducere contra eum inscriptionem²¹, et priora quidem ei proparavit inferre iacturam: ejus enim portio tam ad reliquos fratres, quam ad matrem veniat. Et hæc lex supra filiorum successione, quibus cum matre succedunt filii, maneat, illam quæ a nobis facta est subdivisionem introducens iis, quæ futuro tempore matrimonio secundo sunt socianda viris. Quæ enim jam ad secundum matrimonium pervenerunt, [et beneficio memorata nostræ legis potita sunt] his licet successionem, sive per testamentum, sive ab intestato habere firme, et secundum dominium, et secundum usumfructum, et alienare, et testari, et transmittere secundum quem voluerint modum, nihilque sit eis impedimento quolibet tempore ex præsentibus constituta lege. — § 1. Illud autem firmum ex primo matrimonio filiis maneat, quod super his per predictam a nobis constitutum est sanctionem. Quod²² si antenuptialem donationem, quam mater moriente marito lucratur, contigerit ad mortem filium pervenire, et propterea partem ei illius fieri hereditatis: matrem neque secundum quod succedit filio, dominium eorum, scilicet antenuptialis donationis rerum perfrui: solum autem habere horum, quamdiu superest, usum et usumfructum. Maneat igitur et hoc his, qui ex prioribus nuptiis sunt, filii condonatum: nisi forte ante predictam constitutionem judiciali sententia et transactio inter partes facta de his aliquid statuerit. — § 2. Et²³ quoniam mater excludatur²⁴ quidem a filio masculino, hoc faciente senatusconsulto quod Tertullianum vocant: filiabus autem commiscebatur: nos non quærentes filiorum jus, sed exinde ei legitima jura dantes, vocamus quidem eam²⁵ etiam cum masculis fratribus morientis in tantum in quantum numerus filiorum fuerit: quatenus et ea partem habeat tantam quantam unusquisque fratrum. Si vero permixti masculi et feminae fuerint: hoc ipsum disponentes. Si vero mater et filia solæ consistent, ibi senatusconsultum mediam quidem partem dabit matri: residuum vero mediam sororibus quantumque extitissent. Quod quoniam non primitus correximus, modo adducimus ad competentem correctionem, et in isto casu vocantes eam pro rata filiarum: quatenus quantum unaquaque filiarum habet, tantum solummodo et ea accipiat: et in omni casu hic relato, in virilem portionem (hoc quod legis est) etiam mater veniat: sive consistent soli masculi, sive solæ feminae, sive etiam permixta utraque soboles.

CAP. XLVIII. *Ut parentes studeant æqualitatem inter liberos primi et secundi matrimonii servare.*

Illud quoque super hoc adjicere legi justum existimavimus. Si enim moriatur vir aut mulier filios habentes et ex prioribus et ex secundis nuptiis, quas post hanc nostram contraxerint legem: (in his enim præsentia disponimus) quæ quidem super lucris ex nuptiis servari oportet, hoc sancimus: insuper et decrevimus portiones, quas necesse est parentes legitimis et non ingratis relinquere filiis, ipsos tamen genitores non erit justum ad secundam omnino declinare prolem, et quod ex lege est, tantummodo relinquere prioribus alia omnia ad secundos deducere, sed aliquid et prioribus adjicere. Nam si aliquem ex secundis habeant nuptiis, aut etiam ex primis forsan, ista festivum, ita dilectum, ut velit præponere cum aliis in possessione, damus licentiam hoc agendi: non tamen omnino priores quidem filios minuere, secundos autem augere: sed neque vehementer magnificare augmentum, nec omnino oblivisci priorum

19. Authent. Ex eum, C. ad SC. Tertull. — 20. § 3, vers. frater, Inst. d. t. — 25. c. 46, § 3, supr. hic; L. 7, C. ad SC. Tertull.

matrimoniorum, neque infirmare ea quæ a præcedentibus nos de talibus dicta sunt: sed providere quidem et secundis, providere autem et primis: cogitantes, quoniam ambo filii sunt: et ita facientes successionem in testamenti divisionem. Si enim intestatis eis mortuis lex omnes ex æquo vocat: competens est eos imitantes legem, non vehementer magnis eos abbreviare minutionibus, erubescens legem; sic enim erunt boni patres, et nostra digni legislatione: et justii quidem erunt solam legem custodientes. Si quid autem etiam supra legem reliquerint: erunt justii simul et humani patres: et non hæc dicimus inter gratos et ingratos filios, (de ingratis enim jam sæpius dictum est) sed de iis qui magis aut minus diliguntur: cum utique multa differentia sit ingratitudinis, et gratiarum actionis, et dissimilis honoris. Hanc itaque partem de æquitate filiorum ex priore et secundo matrimonio venientium, adhortantes potius quam sancientes dicimus: alioqui semel augentes ab intestato partem omnino filii relinquendam: et usque²⁶ ad quatuor quidem filios, quatuor uncias minime definitentes; si autem ultra quatuor sint, usque ad mediam substantiæ partem: idoneum jam dedimus filiis solatium, non ex parva mensura antiquam eorum angustiam resolventes. — § 1. Sit igitur præsens lex futuro tempore sanciens, sicut sæpius dicentes prævenimus, et nihil priorum tangens, sed collecta undique et complexa sub una continuatione: et omnia pene de secundis pronuntians nuptiis: et priora quidem prioribus in sua virtute servans, quæ vero ab ea disposita sunt, futuris secundis explanans nuptiis, et novam quadam undique ac subtilissimam introducens quærentibus utilitatem: omnibus quæ super talibus positæ sunt constitutionibus, in futuris post hanc nostram legem nuptiis, et quæ ex his evenerint, vacantibus: hæc videlicet una constitutione futuro tempore, secundum quod a nobis definitum est, in iis qui continentur in ea casibus, pro cunctis sufficiente.

EPILOGUS.

Hæc igitur tua celsitudo omnibus gentibus quæ sub tuo sunt cingulo, solemniter manifesta fieri præcipiat: ut omnes agnoscentes quia majorem laborem sustinentes quam oportet imperialibus incurere cogitationibus, tamen nihil prius illorum duximus salute, ne undique emendicent quod justum est, sed omnes videntes in unum collectam de hac legislatione partem, sciant quia et priorem iis quæ jam posita sunt, servavimus legem: et futuro tempore competentem posuimus congruentiam. — Datum 15 kal. August. Constantinop., post BELISARIUM V. C. consul. Scriptum exemplum Patricio gloriosissimo præfecto hujus alme urbis. Scriptum exemplum Basilidæ gloriosiss. magistro sacrorum officiorum ex præfecto, exconsule, et patricio. Scriptum exemplum Tribonianum gloriosissimo quæstori iterum et exconsule. Scriptum exemplum Germano gloriosissimo magistro equitum sacri præsentis, exconsule et patricio. Scriptum exemplum Trige gloriosissimo magistro peditum sacri præsentis, exconsule et patricio. Scriptum exemplum Floro gloriosiss. comiti sacrum rerum privatarum et exconsule. Tua igitur excellentia cognoscens ea quæ nobis placuerunt, in judicio tuo insinuet tam advocatis, quam aliis quibus præes, secundum hanc nostram constitutionem sufficientibus his, quæ hac de re a nobis scripta sunt ad Joannem gloriosiss. sacrorum per Orientem prætoriorum præfectum, iterum exconsulem et patricium. — Dat. 15 kal. april. Constantinop., post BELIS. V. C. consul.*

TIT. II.

DE APPELLATIONIBUS¹, ET INTRA² QUÆ TEMPORA DEBEAT APPELLARI.

Hanc legem non habent Scrimgeriana et Haloandrina editiones, sed ejus tantum argumentum et summam: quod argumento est hanc vulgarem translationem ex meliore et integriore archetypo desumptam, quam ullam alia editionem, sed et omnes Novellæ latinæ desunt in illis novis editionibus.

NOVELLA CONSTIT. XXIII.

Imp. JUSTINIANUS AUG. Tribonianum gloriosiss. quæstori, iterum exconsuli.

PREFATIO.

Anteriorum legum acerbitati plurima remedia imponentes, et maxime hæc circa appellationes facientes in præsentibus ad hujusmodi beneficium pervenire duximus esse necessarium. Antiquitatis³ etenim cautum erat,

26. N. 15, c. 1. Tit. II. — 1. Lib. 49, D. 1; Lib. 7, C. 62. — 2. Lib. 49, D. 4; Lib. 7, C. 63. — 3. L. 1, § 5, 7; L. 1, § 1, D. quando appell. i; L. 6, § 8, C. de appellat. — 4. L. 5, L. 20, D. d. t. de appellat.

ut si quis per se litem exercuerit, et fuerit condemnatus: intra duos dies tantummodo licentiam appellationis haberet, si autem per procuratorem causa ventilata sit, et in triduum⁴ proximum eam extendi. Ex rerum autem experientia invenimus hoc satis esse damnosum: plures enim homines ignaros legum subtilitatis, et putantes in triduum esse provocaciones porrigendas, in promptum periculum incidisse, et biduo transacto causas perdidisse. Unde necessarium duximus hujusmodi rei competenter mederi.

CAP. I.

Et⁵ sancimus omnes appellationes, sive per se, sive per procuratores, seu per defensores, vel curatores, vel tutores ventilentur, posse intra decem dierum spatium a recitatione sententiæ numerandum, judicibus ab iis quorum interest offerri: sive magni, sive minores sint, (excepta videlicet sublimissima prætoriana præfectura) ut liceat homini intra id spatium plenissime deliberare, sive appellandum ei sit, sive quiescendum: ne timore instante opus appellationum frequentetur, sed sit omnibus inspectionis copia, quæ indiscussos hominum calores potest refrænare.

CAP. II. *De consultationibus*⁶.

Ad hæc sancimus, si quando lis speratur in nostrum⁷ inferri consistorium: si forte contigerit imperatoriam majestatem occupatam publicis causis ex mundanis provisionibus, non posse convocare patres quatenus causa agitur non⁸ ex hoc litem periclitari. Quod enim vitium est litigantium: si culmen imperatorium occupetur? vel quis tanta est auctoritatis, ut nolentem principem possit ad convocandos patres cæterosque proceres coartare? Sed si quid tale evenerit, causa intacta permaneat donec imperator sua sponte motus et convocari proceres jusserit, et litem inferri patiatur, et omnia secundum morem procedere.

CAP. III. *De appellationibus in Ægypto, Asia, Ponto, etc.*

Illud etiam in tertio capitulo disponendum est, quod antiquitas bene statuit, novitas autem neglexit. Cum enim veneranda vetustatis auctoritas ita magistratus digesserit, ut alii majores, alii medii, alii minores sint, et appellationes a majoribus judicibus non solum ad maximos judices remitterentur, sed ad spectabilem judicum tribunal, quatenus et ipsi sacro auditorio adhibito litem exerceret: novitas autem hoc deliquerit: evenit ut super minimis causis maximi nostri judices inquietentur: et homines propter minimas causas magnis fatigantur dispendiis, ut forsitan totius litis æstimatio ad sumptus judiciales non sufficeret. Ideoque sancimus, si quando ex Ægyptiaco tractu, vel adjuncta ei utraque Lybia provocatio speratur, usque ad decem librarum auri quantitatem: non in hanc regiam urbem eam venire, sed ad præfectum augustalem, qui audiatur, et causam dirimat vice sacri cognitoris nulla ei [penitus] post definitivam sententiam appellatione porrigenda. — § 1. Similique modo quoties in Asiatica diocesi vel Pontica tale aliquid emerit, usque ad prædictam quantitatem decem librarum auri appellationes ad viros spectabiles, comites forte, vel proconsules, vel prætores, vel moderatores, quibus specialiter easdem lites peragendas deputavimus, remittantur: quatenus et hi ad similitudinem præfecti augustalis vice sacri cognitoris intercedant, et causas sine spe quidem appellationis, Dei tamen et legitimum timore proferant decidendas. Orientalem autem tractum causas appellatione suspensas, et usque ad decem librarum auri quantitatem limitatas, ad virum spectabilem comitem Orientis mittere simili modo audientiam et finem eis impositurum.

CAP. IV. *Ut a spectabilibus ad illustres appellatur.*

Illo videlicet observando, ut viri spectabiles duces, vel alii spectabiles judices, non ad alios eadem spectabilitate decoratos judices suas transmittant appellationes in litibus, quantumcumque sint quantitatis, (cum non oporteat ad compares⁹ judices appellationes referri, sed a minore judicio in majus¹⁰ tribunal ascendere) sed ad illustrissimam præfecturam, illorum appellationes, cujuscumque sint quantitatis, (ut dictum est) dirigantur, qui una cum viro excelso pro tempore quæstore eas dirimat: utroque officio subministrante, id est, tam ex sacris scriniis more solito, quam præfecto prætorio. Ita tamen hæc sancimus, ut nec a ducibus vel aliis spectabilibus judicibus, quibus forte, etsi privati¹¹ sint, imperialis majestatis causas injunxerit, appellatio ad memoratos spectabiles judices currat: nec causa non gradatim procedere, sed perperam videatur. Sed a præsidibus quidem provinciarum, et judicibus a nobis datis, si non sint spectabiles judices, intra memoratam quantitatem referretur. Si autem vel illustres sint dati a nobis judices, quibus apices dignitatum super specta-

— 5. Authent. Hodie, C. d. t. — 6. N. 20. — 7. *Adde* L. ult. § 4, C. de temp. et reparat. appell. — 8. Authent. Sed et iis, C. d. t. — 9. *Fac* L. 3, in fin.; L. 4, D. de recept. qui arbit. — 10. L. 1, L. 2, L. 3, D. quis a quo appell. — 11. L. 52, C. de appellationib.

bilitatem sunt, vel duces, qui omnimodo spectabilitate sunt decorati: vel ii qui a principe delegati sunt, spectabilem habeant dignitatem: eorum appellaciones sub quacunq[ue] quantitate in hanc regiam urbem ad competentes antiquo more iudices referantur. Omnibus aliis quæ de appellacionibus statuta sunt vel ab antiqua prosapia, vel ab auctoritate anteriorum constitutionum, vel a nostra humanitate, intactis illibata isque custodiendis. — Dat. kal. Jul. Constantinop., post BELIS. V. C. consul.*

DE APPELLATIONIBUS, AD QUEMNAM REMITTANTUR, SI RES OB QUAM APPELLATIO INSTITUITUR, NON SUPRA AURI LIBRAS¹² DECEM VALEAT.

Epitome superioris.

Non principalis litigator duntaxat, verumetiam procurator ejus, defensor quoque et curator et tutor intra decem dies a lata sententia provocare potest. A prætiorum præfectis provocare non licet¹³.

CAP. I.

Si dum principi¹⁴ appellacionis causam audire non vacat, legitimum tempus decurrat, nullum hinc liti præjudicium gignitur. Quando ad principem ejusque consilium provocatur, si lis ipsa decem libras auri non exsuperet, illam in Ægyptiaco tractu, et adjuncta ei utraque Libya præfectus augustalis audiet, et cognoscat: in Orientali autem tractu comes Orientis: in Pontico vero, et Asiatico, spectabiles comites, proconsules, prætores, et denique moderatores, si quidem hoc specialiter ipsis injunctum fuerit. Qui omnes sacrum habebunt auditorium, neque quisquam eorum sententiam de appellacionis causa latam poterit detractare.

CAP. II.

Quando a spectabilibus præsidibus provocabitur, sive res litigiosa plus decem libris auri, sive minus valeat, prætiorum præfectus una cum questore, ipsis utraque cohorte ministrante, de illa cognoscat.

TIT. III.

DE PRÆSIDE¹ PISIDIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXIV.

Imp. Justin. August. Joanni gloriosiss. sacrorum per Orientem prætiorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Nunquam sane credidimus, veteres Romanos ex parvis adeoque minutissimis principiis tam amplam constituere rempublicam, et totum exinde terrarum orbem (pene dixerimus) sibi adjungere, et premere ac tueri imperio potuisse, nisi majoribus in provinciis magistratibus missis, plus ea de re dignitatis sibi comparassent, simulque illis armorum² juxta ac legum potestatem fecissent, neque non ad utrumque accommodatos et idoneos habuissent, quos quidem prætores vocabant, appellatione illis ex eo indita, quod cæteris omnibus prærent et præponerentur, permissa scilicet eis tam rei bellicæ administratione, quam legum præscriptione. Unde et ea loca in quibus publice magistratus vel jus reddere, vel habitare solebant, prætoria³ appellare, et ut pleræque in rempublicam leges ex viva prætorum voce inferrentur, constituerent. Et multi⁴ prætores partim Siciliam, partim Sardiniam insulam, partim Hispaniam, partim terra marique alii aliud vel imperio adjecterunt, vel rexerunt.

CAP. I.

Hæc nos in animo reputantes, vetustatem denuo majore cum flore et vetustate quasi postliminio reducens in rempublicam, romano præterea nomini dignitatem addentes, et videntes quod duplici in asperioribus provinciis magistratu ad hunc usque diem destinato neuter ad plenum sua sorte contentus fuerit, sed ex ea causa per quasdam nostras provincias, in quibus tam civilis quam militaris magistratus existit, semper inter se rixentur, semper pugnent, non quo subditis boni aliquid faciant, sed quo eos magis atterant: e re fore putavimus, si utrumque magistratum tam civilem quam militare in unam formam contrahamus, imponamusque denuo ei qui hanc potestatem habeat, appellationem prætoris: ut idem et militaribus copiis, quæ per provinciam sunt secundum cõgno-

¹² Fac. l. 1. c. de receptorib. — ¹³ L. un. C. de sent. præf. prætor. — ¹⁴ c. 2, supr. hic. — ¹⁵ L. 1. N. 25, c. 2. N. 51, c. 3. — ² Fac. L. 7, in fin. L. 8, D. de offic. procors. L. 10, l. 1, D. de offic. præsid. — ³ Fac. L. 16, C. de offic. rect. prætor. — ⁴ L. 2, § 2, D. de orig. jur. — ⁵ c. 4, in d. hie. — ⁶ d. c. 4. — ⁷ Procem. Inst. in pr. — ⁸ N. 25, c. 1, § 2.

mentum antiquitus illis impositum præeat, et præficiatur legibus: si quidem et hoc initio prætorum erat proprium: et cum utriusque officii annonas habeat, una tantum cohorte utatur ex centum cohortalibus, (tot enim ei sufficient) quæ prætoriana cohors appelletur, et per⁵ probatorias convenienter hinc procedentes constituatur. Ita enim dignitate⁶ plenus erit, ita atrociniâ exercentibus terribilis, ita injustis inevitabilis: si majore cum potestate omnia conficiat: et cum lex jam pridem a nobis posita jubeat omnes omnino iudices puris uti manibus, ei obtemperet, et præstato juramento, secundum hanc res gubernet, tam⁷ armis utens quam civilia secundum nostras leges ordinans. Unde tametsi ex gloriosiss. consulis aliquis ad hanc administrationem accedat, nihilominus in hoc imitatio quædam priorum eluceat, quæ videlicet provincias sortientes eos. consularesque viri, et non multo⁸ illis inferiores prætores, paulatim Romanorum nomen ita auerunt, et tam amplum effecerunt, quantum nulli unquam alii reipublicæ seu imperio concessit Deus. Id quod in Pisidarum regione initium primum sumere volumus: propterea quod veteres annalium scriptores⁹ prodidisse invenimus, olim Pisidarum gentem universæ illius terræ summum tenuisse imperium, et jam nunc majore et vehementiore hanc provinciam magistratu indigere, (nam et maximi in ea pagi sunt, et multi homines, et qui sæpenumero ob ipsa publica tributa seditiones movent) et prædaticibus illis et sanguinariis regionibus, quæ supra vocatitatem et quandam insatiabilem lupini capitis collocatæ sunt, et Lycoeranitarum habitaculum vocantur, hunc magistratum præficiendum credimus, qui jam inde ordine legitimo in eam progrediatur. Ac si hic magistratus sub specie quadam incursionis miscetur, componatur etiam in unum tam militaria, quam præsidalia insignia, et omnes eam militares copię sequantur, quæ in provincia sunt. Ad hæc tota civilis cohors venerando jam vocabulo appelletur, et prætoris cognomen honoretur, quis ipsum non abhorreat? quis non revereatur, simul in unum leges et arma coire spectans, et indidem conditione proposita, ut aut legibus obtemperet, si bono esse animo, et servari velit, aut, ut vel primo statim intuitu pereat, armis in proximo leges corroborantibus?

CAP. II.

Oportet igitur, ut qui hunc magistratum suscipit (semper autem gratis¹⁰ eum, et absque ulla donatione pecuniæ ipsi conferimus, ut et ipse per omnia sordibus abstineat, et his solis, quæ ex publico solvuntur, contentus sit, id quod etiam prima¹¹ nostra lex dicit) juste et pure et cum quadam¹² asperitate humaniter se erga subditos gerat, quemadmodum in priore lege disposuimus, homicidia¹³, adulteria, raptus virginum, omne denique maleficium provincia expellat, et qui ea deliquerint, secundum¹⁴ nostras leges puniat, neminem præterea maleficiorum reveretur, etsi de potentioribus sit, neque his se submittat, qui nullam de se utilitatem, at bene nefarias de se occasiones præbere possunt: sed per omnia jus ipsum tœatur, et ad nostras leges respiciat, et secundum eas judicet, et ut subditi nostri secundum illas vitam suaque studia instituant, efficiat insuper ad Deum quoque, et nostri timorem respiciat, neque præterea quicquam omnino in animo cogitet. Item ut neque crebro¹⁵ ex provincia huc commet, neque inmodicis literis nos interpellat, sed in omnibus prior ipse audientiam accommodet, eaque disciplet, et memor, quantam illi dignitatis magnitudinem dederimus, ita se hac in re gerat, ut pro gesto magistratu causam dicere necesse non habeat, sciens, quod si quis eo adito jus suum non consequatur, compellaturque hæc ad nos referre, pro eo deinceps certamen illi nobiscum futurum est. Quemadmodum enim jurisdictionis augmento ipsum honoravimus, ita rursus si præter intentionem et opinionem nostram tradita eum administratione abuti deprehenderimus, competenti ipsum animadversione persequemur, tam Deo in hoc subservientes, quam opem ferentes legibus, sive furta eum fecisse, sive gratia forte aut inimicitis superatum, sive leges nostras transgressum esse deprehenderimus: dum enim subditos iterum exigere, et his malis, quæ usque adhuc extiterunt, mederi volumus: et magnas opes despeximus, et ad hanc dispositionem oculos convertere proparavimus.

CAP. III.

Porro non tantum ad hæc eum prospicere oportet, quæ ante a nobis dicta sunt, sed etiam curare ut affluens rerum copia sit in urbibus, ne quid civis deficiat. Inspiciat etiam in civitatibus opera¹⁶, neque in hoc seipsos a se vinci patiatur: sed et aquarum ductus, et pontes, et muros, et itinera publica refici studeat, neque committat, ut exactores¹⁷ qui

⁹ Adde N. 25; L. 10, D. de probat. — ¹⁰ N. 8. — ¹¹ d. N. 8, c. 7; N. 17, c. 1. — ¹² d. N. 17, c. 2, § 3. — ¹³ L. 3, L. 6, L. 15, D. de offic. præsid. — ¹⁴ pr. Inst. de offic. judic. — ¹⁵ L. 15, D. de offic. præsid. — ¹⁶ N. 17, c. 4, in pr. et § 1; L. 7, § 1, D. de offic. procors. — ¹⁷ d. N. 17, c. 8.

illuc comeant, in aliquo subditos nostros prægravent: neque jussiones alias, quæ improbo more fieri solitæ, ex thronis excellentiæ tuæ de refectione murorum, de sternendis itineribus publicis, deque aliis, plus mille causis procedunt, suscipiat. Omnium enim horum causa, et si aliud præterea ejus generis, nemini permittet, ut subditos nostros injuriis afficiat, neque prohibet de thronis tuis sententia, quæ tale quid dicat, (jam enim hoc prohibuimus) sed solus ipse omnium curam geret. Si vero ex sacre nostræ legis sententia pragmaticam aliquam formam¹⁸ dirigamus, quam forte ad tuam emittamus præfecturam, examinabit ille prius, quæ imbi a nobis jubentur; nemini autem alii omnino copia fiet deprædandi subditos, quo magis aliquando provincias iterum refertas hominibus iterum suis civibus efflorescentes, neque undique huc confluentem videam suam patriam reverti non audeat. Ideoque sancimus ne amplius excellentia tua Pisidiæ gentis magistratus pro divisis habeat, sed ut unum sit in ea spectabilis prætoris officium, quod idem et militare et civile existat: quod similiter et publicarum civiliumque rerum curam gerat, et militibus præeat, ut mutuo auxilio et jurisdictione ex armis vires colligat, et cohors armata condecoretur lege. Neque enim deinceps aliqua per urbes orietur seditio, si talem de cætero virum præfecerimus, qui utroque nobis officio dignus putabitur.

CAP. IV.

Quæcunque igitur fiscus erogaturus est, ea secundum subjectam huic sacre nostræ legi descriptionem spectabili prætori, circaque ipsum versari solitis præstari jubemus. Unde et sacre nostræ appellacionis notam præponi volumus, et qui Pisidiæ præses erit, is prætor Justineaneus esto. Obtemperet autem illi prætoriana cohors, ex probatoriis¹⁹ (ut diximus) constituenda, quæ similiter tam civilibus quam militaribus hominibus juxta et rebus occupata sit. Ad hæc publicorum quoque tributorum exactio hunc præsidem cohortemque ejus respiciet, et omnia magistratus habebit insignia²⁰, quæ etiam modo habet, sellam scilicet curulem ex argento, securim quoque, et fasces: habebit etiam inter milites adpresum²¹, adeoque et eo ipso principatum illi inter milites, qui ibi locorum sunt, tribuimus, ut ipsos et pulchre regat, et cogat in ordinem, instruatque ut non solum latrocinantes persequantur, sed etiam subditos inter se mansuetos et molestos reddant. Neque item committat, ut seditiones moveantur in urbibus aut comites quidquam ad fiscum spectans divellant, sed supra²² omnes potestatem habeat, nemine prorsus excepto. Collocatus autem hic magistratus sit in mediis et in numerum spectabilium descriptis. Unde quæcunque in vicariis olim, hodie in comitibus Justinianeis Pacatiane²³ Phrygiæ et Galatiæ primæ²⁴, item spectabilis comite Orientis²⁵, spectabilibus proconsulibus sunt, ea et in hoc existant: sitque et ipse spectabilis magistratus, et appellaciones quæ apud ipsum interponuntur, mittantur huc, et examinentur: sicut in cæteris spectabilibus fieri solet magistratibus, introducanturque in judicium gloriosissimi præfectorum, in cognitionem causæ, adhibito etiam gloriosissimo questore sacri nostri palatii: propterea quod tametsi is magistratus nonnihil in se habet militare, tamen quia prorsus in civilem et legitimam mutatus est formam, ideo necessario eundem tenere ordinem debet, qui pro consuetudine jam olim obtinente in spectabilibus magistratibus observatus est.

CAP. V.

Quoniam vero nuper sacra constitutione conscripta promulgavimus, ut causæ appellationem, quæ quidem quingentorum aureorum summam non excedant, a spectabilibus præsidibus huc devolutæ, in habitu et ordine sacri auditorii examinentur, sancimus, ut si qua ejusmodi causa emergat, scilicet in Pisidia duntaxat, ex delegatione sive nostra, sive alicujus gloriosissimorum nostrorum procerum, nisi qui datus est iudex spectabilis sit, ut non ad spectabilem Justinianeam comitem Pacatiane Phrygiæ (id quod prius lege²⁶ determinavimus) proficiatur, sed ad ipsum deferatur in sua provincia iaterposita appellatio, et ipse de ea cognoscat in habitu sacri auditorii, (cohonestamus etenim magistratum hoc etiam) et perfectam illi formam imponat, non remittendam ad hanc aliam urbem, ne forte parvis de causis magna honorum suorum perturbationes et damna litigatores sustineant.

CAP. VI.

Ut autem qui vel hoc prætoris, vel alia nobis inventa et inveniendæ officia suscipiunt, cognoscent quo tandem modo provincias eos gubernare conveniat, visum nobis est, non tantum signa eis præbere administratio-

¹⁸ d. N. 17, c. 4, in fin. pr. — ¹⁹ c. 1, supr. hic; N. 25, c. 1, vers. deinde. — ²⁰ N. 50, c. 6; L. 14, D. de offic. procors. — ²¹ N. 25, c. 1, in fin.; N. 25, c. 25. — ²² L. 4, D. de offic. præsid. — ²³ N. 8, c. 2. — ²⁴ d. N. c. 5. — ²⁵ d. N. c. 5. — ²⁶ d. N. c. 2. — ²⁷ d. N. 8.

nis in codicillos (ut vocant), sed etiam modum præscribere, secundum quem provinciam administrent, (quæ quidem, qui nos antecesserunt legislatores, consulta quædam præsidalia appellabant) ut ad hæc intentis oculis propriam dirigant administrationem, perque hanc omni ex parte subditis nostris prosint. Unde et id genus sacra mandata jussimus in sacro laterculo reponi, ut una cum codicillis præberetur, præsidibus tum jurandum, quod in sacra nostra constitutione²⁷ descripsimus, præstantibus tum omnia alia, ut nos ordinavimus, administrantibus. Subjicietur autem a nobis huic sacre legi quædam etiam descriptio, quæ exprimat quid ipsum cum deligitur, præbere conveniat occasione codicillorum officii, sive in sacro laterculo, sive in foro gloriosissimorum præfectorum, quid rursus illi, item adessori, et circa ipsum versari solitis porrigatur ex publico: ut omnibus nota facta providentia, quam circa officia gerimus, ille incontaminatum nobis et undique spectatum suum exhibet ministerium. — § 1. Hanc sane legem tum sacrarum nostrarum constitutionum lectio monstrabit, (jussimus enim et hanc inter eas describere) tam ipse ad effectum deduces, ut perpetuo in ipsis factis reluceat conspiciaturque.

Oportet prætori Pisidiæ annonarum, et capitum, ac reliqui solatii titulo præberi solidos CCC; ejus adessori, solidos LXXI; ejus cohorti, aureos LII. Rursus pro codicillis administrationis oportet ipsum præbere sic: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubiculi, solidos IX; primicerio clarissimorum tribunorum notariorum et laterculensibus, solidos XLV; ejus adjutori, solidos III; cohorti gloriosissimorum præfectorum pro jussionibus et omni alia causa, solidos LX.

TIT. IV.

DE PRÆTORE¹ LYCAONIE.

NOVELLA CONSTIT. XXV.

Imp. Justinianus Aug. Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Cum ad prima illa principia, ex quibus Lycaoniam gentem, antiquarum rerum scriptores² et enarratores constituisse tradiderunt, respiciamus et quod maximam cum Romanis affinitatem habeat quodque ex eadem ferme occasione in unum coacta sit, majore, quam hactenus magistratu eam exornare, justam putavimus. Siquidem usu venit, ut olim Lycaon, qui Arcadiæ in Hellade rex fuit, et Romanum solum incoleret, et assumptis quondam Oenotriis romano imperio daret veluti principium (dicimus autem vetera illa, quæ longo ante tempore Æneæ et Romuli ætates præcesserunt) et deducta in hæc partes colonia, Pisidiæ bonam partem adimeret, eique deinde suum nomen inderet, et regionem ex se Lycaoniam appellaret. Inde adeo justum fuerit et ipsam magistratu adornare, cui veteris apud Romanos instituti signa et notæ inscribantur, et illos, qui hoc ipsam tempore regunt (de præside civilis jurisdictionis loquimur, et eo cui armorum cura commissa est) in unum contrahere, et prætoris appellatione decorare. Est enim hoc nomen quasi jure patrio romani imperii proprium, et ante ipsos etiam Coss. in ampla Romanorum republica usui habitum. Nam veteres Romani suos imperatores prætores appellabant, simulque illis præbebant, ut militaribus præerent copiis, et descriptis ab illis parebant legibus, et prorsus erat hic magistratus ex ambobus temperatus, præ se ferens et ostentans tam in instruenda acie robur, quam in ferendis legibus rectum et decentem ordinem.

CAP. I.

Quoniam igitur propositum nobis est etiam hic utramque administrationem in unam contrahere, propterea optimo illi jure prætoris appellationem imponimus, ut una cum prætoris appellatione audientium animis insonet ipsius quoque magistratus substantia ac natura, et quod non simplex sit, nec ad unam aliquam rem tantummodo (nempe vel arma, vel leges) respiciat, sed simul utrumque ad se munus ex æquo attrahat, quodque per copias militum vehemens et robustus, per legem lenis et mansuetus sit: et per hanc causam maleficis quidem vehementiorem, probioribus vero civiliorem se et moderatiorem exhibeat. Neque hoc sine causa agimus, aut solam appellationem attendimus, sed ex usu ac necessitate magistratus quoque metimur. Nam fortes ea regio viros habet, neque in ullo differt ab Isauria in medio, ut quæ mediterranea, aprica,

N. 8. — ²⁷ Tit. IV. — ¹ N. 8, § 20. — ² c. N. 24, c. 1, post mod.